

et alii schismatici in terris Christianorum habitant, et de eisdem terris hactenus, juxta eorum ritum viventes, nullas penitus decimas solvere consueverunt, quos tamen ipsi Domini Praelati ad decimas solvendas cogere niterentur.

§. 1. Et quia ipsae decimae in patrimonium Christi dedicatae, a Christi fidelibus, et non aliis schismaticis hominibus (praesertim vero illis, ad vocationem, Regiae Majestatis, ac Waywodarum, Banorum, et caeterorum Officialium, ipsa confinia Regni tenentium, dicta loca incolentibus) exigi solent: Ob hoc ordinatum est, et conclusum.

§. 2. Quod amodo de caetero, ab ipsis Rascianis, Ruthenis, Valachis, et aliis schismaticis, in quibuscunque terris Christianorum residentibus, nullae penitus decimae exigantur. *)

ULADISLAI II. REGIS DECRETUM III. SIVE MINUS, ANNI 1498.

De Octavarum et brevium judiciorum celebrationibus: nec non Assessoribus eligendis et eorum salariis.

Articulus 2.

§. 8. In Transylvania autem et Sclavonia, consimiliter duae Octavae majores, videlicet, festorum Epiphaniarum Domini et Beati Jacobi Apostoli: Nec non duo judicia brevia, festivitatum Beatorum Georgii Martyris et Michaelis Archangeli celebrentur. **)

Capitulum Bosnense, per totum Regnum exequutiones facere valeat.

Articulus 12.

De Capitulo Bosznensi ***) statutum est: Quod ex quo ejus Canonici totaliter destructi esse dignoscuntur, pro reformatione Ecclesiae illius (quae in honorem Sancti Petri constructa est) habeant facultatem ubique per totum Regnum, pro testimonio Capitulari ambulare: Adinstar Capituli Budensis.

Banderia Archi-Episcoporum, Episcoporum, Abbatum, Praepositorum, Capitulorum: Et numerus equitum.

Articulus 20.

Sunt autem isti Viri Ecclesiastici, qui Banderia eorum ordine infrascripto semper levare, et cum eisdem exercituare tenebuntur (caeteris exmissis).

§. 7. Episcopus Zagrabiensis, Banderium unum. — §. 12. Episcopus Sirmiensis, equites quinquaginta. — §. 19. Prior Auranae, Banderium unum.

*) Confer. Anni 1723. a. 85.

**) Anni 1715. a. 121. Et Anni 1723. a. 27.

***) Quod Deakovii, in Comitatu Valkonensi residebat.